

*electo Herbipolensi*

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine. Nescio unde accidere potuerit, ut litteras Reverendissimae et Illustrissimae D. Vestrae datas die 18 Octobris, ego non acceperim nisi die 27 Januarii, quo die simul accepi litteras alias datas die 17 Decemb. Sed undecum-  
5 que hoc acciderit, ille error causa fuit, cur ego non responderim litteris prioribus. Quamvis autem litteras nullas ab Illustrissima D. Vestra dubitare non debet, quin gratissimum mihi fuerit ex aliis audire promotionem ad novum Episcopatum, et quod functus fuerim officio meo. Sic enim conglutinata est anima mea animae  
10 Domini mei Episcopi Bambergensis ab eo tempore, quo novi eum per litteras Suffraganei ejus; ut non sit opus, ut ego stimulis urger in iis rebus, quae concernunt negotia ipsius. Igitur ago Deo gratias, quantas maximas, possum quod viderim in diebus meis novissimis praepositum duabus praestantissimis Ecclesiis hominem secun-  
15 dum cor Dei, qui non solum conservabit diligenter gregem Christi, et a lupis fortissime defendet, sed etiam lupos in oves convertet; ut vere dicere possit: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Non audeo hortari Dominum meum, ut non terreatur ex duplicato onere sibi imposito, neque  
20 ex duplicato labore, qui tolerandus illi erit in pascendo grege duplicato; quia non suis viribus tam eximia opera perficere debet, sed viribus gratiae Dei; utrumque enim verissimum est, et quod Christus dixit Apostolis: Sine me nihil potestis facere, et quod Apostolus dixit: Omnia possum in eo, qui me confortat. Opto Domi-  
25 num meum bene valere ad multos annos, et de die in diem crescere in opere Dei in haereticis convertendis et catholicis confirmandis. His valeat Illustrissimus Dominus meus, memor senilis, et ad mortem propinquantis vitae meae in sanctis precibus suis. Romae die 29 Januarii. 1618.